





12

DILUVIUM THURINGIACUM,

HOC EST,

Dissertatio Historico--didactica,

DE

INUNDATIONI-

BUS IN THURINGIA

Viciniori in vigiliis S.S. Trinita-

tis, noctu IV. Cal: Junii, Anno M. DC. XIII.

cum tremendo fulgurum, atq; horrendo fulminum fra-

gore, nec non infandâ hominum infandorum, pecorum,

ædiarûq; πανολεθρίαι, exortis;

Facta, & tum Historico, tum Theologico stylo confe-

cta, atq; in Magnifico Patrum Academicorum confesso, ut & in floren-

tissimâ Studiose Juventutis Corona publicè, ad diem XIII. Junii,

Jena in Auditorio majori recitata,

A

M. ANDREA PULCIO

RONDEBURGO--MISNICO,

Facultatis Philos. Adjuncto, & alummo

Theologiæ Saxonico-Altenburgensi,

Anno { DoMInVs Venlet Clto,
Venlet IVDICare terram. } 95.

J E N Æ

Typis & sumptib. describemat HENRI-

cus Rauchmaul.



*Illustrissimis atq; Celsissimis Principibus
ac Dominis,*

DN. JOHANNI PHILIPPO, Rectori
Academiae Lipsensis Magnificentissimo,

DN. FRIDERICO,

DN. JOHANNI WILHELMO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

F R A T R I B U S G E R M A N I S,

Ducibus Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Bergae,

Landgraviis Thuringiae, Marchionibus Misniae, Comitibus

Marchae & Ravenspurgi, Dominis Ravensteinii, &c.

Dominis meis Clementissimis.

Tristia jam mitto: misissem leta, sed ista
Noluit, in Coelis qui regit astra, DEUS.

Noscite quam celeri micuerunt nubila flammâ,
Aethereâ ac sonuit quantus ab axe fragor.

Noscite ut insurgens surgens ruit impetus unda,
Cum pratis, hortis, depopulatus agros.

Sed nihil hæc: genus accessit miserabile lethi!
Ædibus abductis multi obiêre homines.

Quæ facienda? fremunt immuni murmure venti;
Ignorant, Domino cui, maria, esse velint:

Hæc: maris & cœli numen (cum vota supersint,) *in*
Oremus; parcat solvere membra ratis.

Solvere membra ratis parcat, fundamenta cuius
Ipse dedit; parcat Saxonicaq; rati:

Hanc Noxus horribilis ne jactet, vota precesq;
Ad quem mittuntur, sed sinat ire, Deum.

Fiant ô fiant: mitescat numinis aura,
Et veniat votis mollior aura piis.

Subjectionis debitæ, gratitudinis piæ, & *συμπραξίας*
Christianæ gratiâ offero & transmitto

M. Andreas Pulcius, alumnus Theologiae Saxonicae.




DECANUS COL-
LEGII PHILOSOPHICI

In Inclyta Academia SALANA

M. MICHAEL WOLFIUS, Physic. P.P.

L. S. P.

 *U*â tempestate paucos ante dies Thurin-
gia nostra, quæ haud immeritò nonnullis
Sumen Germaniæ indigitatur, percussa
sit, vix quisquam est, qui ignoret, aut in dubium
vocare possit. Etenim postquam

————— toto sonuerunt æthere nimbi:
prata virentia, hortiq; florum amœnitate & arbo-
rum copiâ conuestiti, quisquiliis turpabantur: agri,
quos Euripides vocat *δικαιότατον κλήμα*, segetum uberta-
te florentes, devastabantur: domicilia tam in Pagis,
quàm in Oppidis, funditus diruebantur: pecudes
suffocabantur, & quod dolendum, magna pars ho-
minum, miserè aquis submersa, vitam finire cogeba-
tur. Quis, nisi truncus sit atq; stipes, DEUM nobiscū
haud dissimulanter; sed gravissimè & iustissimè ira-
sci, non animadvertit? Quis, nisi ferreum pectus ha-
beat, se hætenus malè, imò pessimè vitã suam trans-
egisse secum haud potis est colligere? Nam si Hesiodo
credimus: Πολλὰ κὶ καὶ σύμπασα πόλις κακῶ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

*Proinde nihil magis reliquum esse videtur, quam
ut imposterum meliorem ad frugem revertamur,
DEOq; OPT. MAX. quod non consumpti
sumus, ut Propheta loquitur, toto pectore gratias
agamus, atq; habeamus. Ut v. Cataclysmum hunc
Thuringiacum indies magis magisq; in memoriã
nobis revocemus, eumq; fideliter teneamus: Huma-
nissimus & doctissimus Vir-Juvenis, Dn. M.
ANDREAS PULCIUS, Rondeburgo-Misni-
cur, SS. Theologiæ Studiosus, rectè suarum esse
partium arbitratus est, si cathedram publicam,
hodierno die post Preces Vespertinas HORA III.
pom. conscenderet, & de eo verba stilo oratorio fa-
ceret. Tentaturus autem est illum ipsum, ut duo-
bus innuamus verbis, Historicè, Theologicè &
παραινέσιως. Vos itaq; quibus pietas ac literarum
humanitatisq; studiacura sunt, frequentes adeste,
audite, judicate. Tantùm abest, ut maximoperè
rogemus, oremus, ut de presentiã vestrã prorsus
nulli dubitemus. P. P. Jena 13. Junii,
Anno 1613.*

DILU.



DILUVIUM THU-
RINGIACUM, TRA-
CTABO IN NOMINE CHRISTI.

Absolon ille filiorum o-
mnium, quorum celebrat aut cele-
bavit unquam memoriam Codex
Biblicus, degenerimus, in acie,
Cæsarie sua, in quercu suspensus, tribusq; lan-
ceis perfossus cum patri suo *Davidi* Regi, è gen-
te Judæa primo, annunciaretur, en, quàm mi-
ferrimo vultu querulâq; voce hanc filii sui cor-
regium & verè paternum fert fortunam? *ô Ab-
solon, Absolon fili mi, ô utinam pro te mortem mihi
oppetere licuisset?*

————— *Fili ô charissime fili.*

*O funesta truci perpesse pericula bello,
Me pariter mergent tua tristia funera letho,
Et dolor ante diem perimet mihi robora vita,
Qui premet extincto te patris pectora curis,
Donec eat mortem patiens mea vita sub umbras.*

Horrendum & hoc auditu est, quod *Pompeius,*

A 3

ad Pe-

D I L U V I U M

ad Pelusium Egypti oppidum, egrediens è navicula, sexagenarius ferè in conspectu *Corneliae* Conjugis, jussu Regis *Ptolomæi* occiditur, & postmodum, ut Virgilius canit,

————— *jacet ingens littore truncus,*

Avulsamq; humeris caput, & sine nomine corpus.

Sed quid jam, AUDITORES Magnifici, Reverendi, Spectatissimi, Consultissimi, Amplissimi, Clarissimi, Nobilissimi, Humanissimi, & doctissimi, sed quid jam, inquam ego, in calamitate inundationū Thuringiacarum communi illi dicent? quas nutrient sub pectore curas, quorum non filii degeneres sed *Æveis* atq; probi, conjuges non infideles sed fideles, liberi non petulantes sed obsecundantes, subditi non immorigeri sed morigeri, ex justissimo Dei judicio, aquis suffocati, postea vel in salicibus appensi manserunt, vel ad vadum delati jacuerunt, vel impetu aquarum plusquam terribilissimul noctu abrepti, vel deniq; ad proximam terram, ô spectaculum tristissimum, aspectuq; horrendum, absq; vestitu denudati, & absq; membris principalioribus ejecti fuerunt? *Quis dabit capitibus nostris aquam & fontem lacrymarū oculis*

oculis, ut ploremus die ac nocte interfectos populi nostri, Sic certe, (ut nulli dubitamus) clamabunt voce querula ex nono Jeremiae Prophetæ capite. Verum, cum judiciũ Domini plerunq; à domo sua incipiat, & nostrum, qui Christiani indigetamur, sit officium, ut semper animis nostris Apostolicam infigamus exclamationem: O profunditatem divitiarum, sapientia & scientia Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia Dei & impervestigabiles viae ejus? Rectè autem & piè fecerint justis, quos hæc calamitas tetigit, si justo Dei judicio se submittentem & subjicientes dixerint: justus es quidem o Domine, & rectum judicium tuum, Sed interea etiam, Misericordia Domini est, quæ non totis sumus consumpti. At verò, sicuti actor aselli flagellis suis saccum plerunq; tactum, asinum verò his ipsis subactum velit, ut ita mihi germano coram vobis, Auditores natione plerique germani, germanissimum exprimere liceat; sic & justus judex nos dare facereq; deberet, sicuti Adama & ponere sicuti Zeboim, cum mores eorundem in studiis stadiisq; nostris sectemur; verum conversum est in eo cor suum,
simul

simul exarserunt in eo miserationes suæ? non fecit furorem iræ suæ, neq; se vertit, ut Ephraim disperderet: quoniam Deus est & non homo.

Ne autem hâc suâ longanimitate abutamur, eâq; sine ullâ pœnitidine ducti, & abusi postea majores pœnas sentiamus ac nostri vicini Thuringi, felices erimus, si pericula eorundem nos non cautos modò, sed etiam ad Deum convertendos fecerint & adegerint, ut ad exemplû regii Psalmographi supplices coram Domino, qui vita est, & longitudo dierum nostrorum, procidamus & oremus:

Audi verba Pater, quæ tibi supplices

Multo cum gemitu fundimus: applica

Intentam bonus aurem

Tristes ad querimonias.

Si vindex tetricus facta nefariè

Pœnis cuncta velis plectere, quis sibi

Tam confidit acerbum,

Vt non horreat exitum.

Quare *Auditores* Magnifici, Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, Amplissimi, Præstantissimi, Nobilissimi, Humanissimi, Doctissimi, ut eò citiùs permovendi, ad Dominum properandi, deq; strage Josephi querendi & conquerendi causas

causas satis superfluas habeamus, ego, tum ratione Christianæ *συμπαθείας*, tum ratione obedientiæ atq; subjectionis, quarum utrâque, mala inundationum, diebus ab hinc quatuordecim, perpeffis, Magistratuiq; meo Clementissimo obstrictus sum atq; obligatus; per horulæ spacium diluvium Thuringiacum, h. e. infortunium inundationum non ita pridem in vicinia terribilissimum, nostro v. in suburbio, per Dei gratiã, si conventio ex utraq; parte facta fuerit, tolerandum, narratione, quantum ex relatu fide digno habere potero, & instituto meo suffecerit, repetam; tum v., quod in eo plurima clementissimæ benignitatis divinæ argumenta enituerint, edocebo; & denique, quid portentorum futurorum, (quæ tamen DEUS clementer avertat) illud ipsum cum naturalium, tum Theologicorum, præfagiis suis, sit prænunciaturum, breviter indicabo.

*Sed tu Magne DEVS, fluctus moderaris aquarum,
 Tu moderare auscultantes, moderare loquentem,
 Annue mitis opem, ò DEVS, & da robora cæptis
 Ne vires oneri succumbant, ne vè fatiscant;
 Ne mea Cymba ferat vim motis acta procellis,
 Tu rege vela fremunt tumidi cum turbine fluctus.*

D I L U V I U M

Te duce, freta vadis pelagi se credet aquosi

Musa, saloq; maris sedato littora tanget.

At vobis, Patres, placeat studiosa voluntas,

Viribus infirmus vestro candore valebo.

Et vobis, mihi quos junxit fortuna Sodales,

Perplaceat cunctis juvenis studiosa voluntas,

In magnis etenim rebus voluisse sat esto.

Surgat verò hîc atq; exurgat aliquis de gente
gregeq; Epicuri, atq; sannis pungat perstrin-
gatq; me, jam differentem, posticis, quod, rem
materiãq; ejusmodi dicendo explicandoq; jam
repetere, aggrediar. quæ jam facta sit, & factũ
infectum reddi nequeat. Et licet scuticã potiùs
quàm ulla responsione dignus judicari debeat,
veritatis tamen divinæ, ut et justitiæ, Sapien-
tiæ, misericordiæ, nec non mansuetudinis ejus-
dem cultus ut nobiscum maneat sartus tectus
atq; integer, stulto huic atq; Margitæ fratri ali-
qua dicenda sunt, ne solum sibi sapere, vel stul-
tirerectius, in suo Epicureismo, videatur.

Ex te itaq;, frater Margitæ, quæro, non quot
dies, nec quot horæ, sed quot menses tantũ
ab hinc præterlapsi, ubi præter omnium opi-
nionem, omniumq; cordatorum judiciũ venti
oboriebantur, adeò sylvas impetêtes, earumq;

ligna

ligna & arbores destruentes, ut & tecta eosdē
 perflantes ædesq; multas, summo cum vitæ mul-
 torum discrimine, diruentes audires atq; vide-
 res? Quid quærebant? quid sibi volebant? quid
 petebant tum temporis hospites ejusmodi tu-
 multuâter incurrentes? Dicam, & quidem pau-
 cis dicam. Venti illi, veluti tumultuanter per-
 rumpentes milites, atq; veluti equi indignanter
 calcitrantes, magno cum murmure montium
 circum claustra fremebant, nec desistebant,
 donec, spacio locoq; facto, erumpere valebant.
 Sic et nostrum tum esse decebat officium, præ-
 sertim, cum annus ad finem decurreret, prin-
 cipiumq; novi accurreret, ut et, cognitione
 iræ Dei, nostrorumq; peccatorum seriâ confes-
 sione, ex tumultuantium peccatorum caver-
 nis erupissemus, cordibusq; nostris gratam atq;
 jucundam, quæ sola in solo Christo quærenda,
 quietem quæsiuissemus, atque veriore vitam
 emendationem suscepissemus. Sed quid hacte-
 nus factum? quo vitæ genere vitam transegimus,
 licet Deus ultionum omnes suas, unâ cum ver-
 bo suo, in nos armaverit creaturas? Ad summâ:

*Cuncta videmus**In peius ruere, & retrò sublapsa referri.*

*Quis credit auditui nostro, & cui brachium,
Domini revelatur?* Sic conqueruntur præcones
verbi divini. Nemo agnovit Magistratus esse et
Dei ministros, aut si quispiam noverit, naso ta-
men eosdem suspendit adunco.

*Nusquam tuta fides; Etc**Nulla fides pietasq; viris, qui templa frequentant.*

Quid adhæc Deus? taceatne, qui, justus cum
sit iudex, oleo tamen misericordiæ suum sem-
per inunxit vindictæ gladium? Non certè. Sta-
tuit & dixit:

*Hæc stata lex, hic terminus esto:**Namq; ego nigrantem commistâ grandine nimbum,**Securi ut vivent, placidam quarentq; quietem,**Desuper infundam, & tonitru omne ciebo.*

Quid factum postmodum, & quid actum, jam
jam Auditores percipite, sed ita tamen, ut ma-
gis, cum Augusto, inter fletus & suspiria, quàm
inter læticiam & gaudia, sedentes atq; dolentes
hæc percipiatis. Nox erat, & placidum in vi-
giliis festi, quod Sacrosanctæ Trinunitati sacrū
erat, homines carpere somnum incipiebant,
ut, ad proximum diem venturum, Deo Trinuni
labia

labia oris & sacrificia cordis eò expeditiùs litare possent atq; sacrificare. Sed, proh Deum immortalem, qui pater es multarum misericordiarum, quod minatus es per famulum tuum Amosum, illud & hîc jam incipis complere. Sic a. loqueris: *Venit finis super populum meum Israel: non adjiciam ultra, ut transeam super eo. Et stridebunt cardines templi, canticaq; in eo in luctum convertentur in die illâ. In die illâ, dicit Dominus DEVS, multi morientur in omni loco, multaq; cadavera in silentio abjicientur. Quis hæc, diebus ab hinc paucissimis, non facta inficias ire unquam poterit?*

*An non ingenti misceri murmure Cælum
Visum, atq; auditus commistâ grandine nimbus?*

Sic certè. At hæc non solum fuère, sed alia tetriora sunt infecuta.

*Namq; ignes fulsère; ruuntq; è montibus amnes,
Et nox illa fuit lethi, quin causa malorum
Millenis multis hominum: nox incubat atra,
Intonuère poli, & crebris micat ignibus ather,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.*

Ah certè, quod querendum atq; seriis verisq; gemitibus conquerendû, nox illa fuit omnium tristissima. Et ut propiùs ad nocumenta ejusdè

accedam, Te compello Vinariam, sedem Illu-
 strissimorum Ducum Saxoniae, &c. Domino-
 rum nostrorum Clementissimorum, sedem, in-
 quam, multis ab hinc centum annis satis cele-
 berrimam, cuius nomen apud omnes nationes
 sanctum fuit haecenus atq; deprædicatum: Te,
 inquã, compello: quid tibi damni tulere inun-
 dationes nuper horribili fragore advenientes?
 an non devastarunt, quæ vix maximis restau-
 randæ sumptibus, ædes; cellas omnes, potatio-
 nesq; inibi cunctas corruerunt? an non peco-
 ra sustulerunt, pascua sarmentis obruerunt, hor-
 tosq; cum Ducales, tum oppidanos arboribus
 nudarunt, arboribus scilicet, quæ alioquin tan-
 tum radice in tartara (ut cum Poëta loquar)
 quantum vertice ad auras æthereas tetende-
 runt, quarumq; tanta erat amœnitas, tantæq;
 suavitatis fructus, ut Alcyoni in hortis ejusmo-
 di fuisse merito dubitemus. Sed hæc nihil. Et
 homines sexaginta & quinque, cum ædibus, ex-
 tra suburbiũ, quadraginta & quatuor, *ἐλικῶς* hinc
 abreptos atque submersos conquereris. Certè,
 Auditores, si rem ad veritatem exigamus, eamq;
 ad

ad debitæ, Christianisq̄ue dignæ, *συμπραδείας* tru-
tinam appendamus, malum hoc est infandum,
de quo quis jure dubitare possit, an habeat, quæ
dicenda essent sine ullo *συμπραδείας* affectu. Infan-
dum hoc est, quod homines alutarii & coriarii
Vinariæ cum suis familiis, cum undiq; circum-
venti, desperatis rebus omnibus, fugâ salutem
petere non possent, sed aquas sævire in ædes suas
quàm horribiliter perferrent, ultimum vale
sibi invicem blandè dixerint, tempestatemq̄ue
fortissimè tulerint, nihil saxa, nihil mortem,
quantumvis præsentissimam, timentes, sed Deo
se totos dantes & commendantes, mentesq̄ue
suas undiq; oppressas quilibet excitantes atq;
erigentes cantaverint:

Wit Fried vnd Frewd ich fahr dahin/
In Gottes willen/
Getrost ist mir mein Hertz vnd Sinn/
Sanfft vnd stille/
Wie Gott mir verheissen hat/
Der Todt ist mein Schlaff worden/ etc.

Infan-

Infandum hoc est, quod incredibili celeritate, magnâ ædium diruptione atq; discussione, paucis horarum scrupulis, factâ (cum & viginti quinque equorum, quadraginta duæ vaccarum, quadraginta duo vitulorum, novendecim caprorum, triginta & octo porcorum, viginti & octo ovicularum, sex taurorum altilium, præter 120. anseres, ab ingruentibus aquis tenerentur,) tempestates ejusmodi, continuatione aquarum, sint consecutæ, ut vicini à vicinis, proximi à proximis, consanguinei à consanguineis, liberi à parentibus, parentesq; à liberis neque videri amplius possent, neq; audiri amplius, neque contineri.

*Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes,
Destruit hic ædes, dissipat hicq; homines.
Abrepti occumbunt: nec spes est ulla salutis,
Dum cantant: vultus obruit unda suos.*

Quid adhæc, Auditores, cum Celsitudinibus atq; Clementis Generos. & Illustris. Principum ac Ducum Saxonix &c. Dominorum nostrorum Clementissimorum, cumq; earundem Celsitud. Dn. Consiliariis longè fidelissimis, vidua mœstissima, mater filiorum Illustrissimorū
cha-

charissima, Domina & mater regionum harum
Celsissima, Domina nostra Clementissima?

*Hoc agit: atq; animum damno depascit amaro,
Multa gemens, largog; humectat flumine vultum.*

Ante oculos errant ades, voces hominumq;:

Sanctaq; veridici vatis predicta recenset:

Vita fugit praeceps, tenuesq; evadit in auras,

Vita fugit praeceps, rapidâ jamq; interit undâ.

O mala, o intoleranda mala: mala hæc Deus,
ah, refarciat ipse.

Paucissimis, Auditores, si alios, Vinariam
prope juxtaq; sitos atq; disritos pagos perlustra-
vero, tum mecum *Roslaviam* versus, rogo, disce-
datis. *Mellingæ* itaque viginti duo homines,
cum sex & triginta ædificiis perierunt. *Kraut-
baymii* sedecim, cum quadraginta habitaculis:
In *Majori Brembachio* 39. homines cum aliquot
90. ædibus: In *Minoriverò Brembachio* 25. per-
sonæ vitam finire, atque interire fuere coacti.
Atq; ut præ nimia brevitate, *Dieffurtum*, *Den-
stad*, *Cappellndorfum*, *Ulrichshalbium* præteream,
quorum neutrum immune fuit ab aquarum in-
curfionibus, *Krombsdorffii* 14. personæ, omnesq;
ædes, præter tres, quæ tamen vix ruderibus si-
miles, surreptæ atque correptæ jacent: *Herresæ*

C

verò



verò sex, atq; in *Oberndorff* quinq; aquis extra-
ctis, jura sepulturæ fuerunt attributa. *Magdala*
quæ passa fuerit, vix edici possunt. *Dobrizæ* eâ-
dem nocte uno quasi ictu (verba sunt opilionis
mihi hæc recitantis) 70. oves ceciderunt. Atq;
ut vestri, Auditores, rationem habeam, quæ *Sin-
derstadii*, *Lehnstadii*, *Gottera*, *Sulzbachii*, atq; in
tractu *Calensi* *Rheinstadii*, *Gomperda*, in *Veteri
Monte*, atq; in *Veteri pago*, nec non *Apolda* illis
ipsis temporib. & horis nocturnis evenêre, edo-
cebunt, futurâ cum temporû serie, annales, qui
eâ de re conscripti cuiusvis præfecturæ archivis,
in stupendam rei memoriam, commendabun-
tur, atque, ut maturè commendentur atq; sepo-
nantur, propediem curabitur.

Atque nunc hinc mecum, Auditores, di-
scedite cum rapido Ilmo *Roslaviam* versus, et
quod hîc non arx tantùm aliqua ex parte, sed
etiam quàm plurimæ incolarum ædes dirutæ
jaceant, cognoscemus. Nam, velut agmine
facto flumina ruunt, murmuribusq; suis omnia
illic transeunt, atque depopulantur.

Etenim,

Etenim, ne oves, quarum è millibus atq; centum non nisi septem vivæ superstitesq; dicuntur evasisse, ullam in nostram veniant mentionem, et quæstor Dominorū nostrorum Clementissimorum, ut fidelissimus ita et dignissimus, de sua suorumq; salute, ut extremo vitæ tempore homines facere consueverunt, desperare incepit. Plena enim omnia fuere, ubi vis locorum, timore & luctus, adeò, ut vix ex eo periculo se iri servatum putarent, cum, ponte ab aquis erepto, omnes introitus & exitus ipsis essent præclusi. Quin et hoc mali accessit, ut, cum jam aliquantò continentius atq; violentius ab aquâ pugnaretur, non vires evadendi solùm, sed etiam tela deinceps sese sustentandi, deficerent, resq; ad extremum, ob direptionem lanarum, ædisq; frumentariæ, ubi lanæ nuper ab ovicularum pellibus detractæ, cum aliquot frumentorum choris jacuere, perduceretur.

*Neu, Deus ab, nobis ne tanta inducito damna,
Saxonica domui neu tanta imposito damna,
Neu patriæ validas in viscera vertito vires.*

C 2

Sed



Sed nec harum rerum omnium Principibus, atque Dominis nostris Clementissimis, eorumq; subditis casus tantum fuere, sed et aliis, extimescendi. Omnes enim colles, pagi & loca, unde erat non tantum propinquus despectus, sed etiam longinquus in Salam decursus, ab incurfionibus impetibusq; aquarum, veluti ab exercitu, tenebantur. Nam, ut *Wickerstetum*, ubi unica tantummodo mulier ab infumibulo percussa, taceam; *Matstadium*, cum mola Reverendi & Clarissimi Dn. nostri Superintendentis D. JOHANNIS MAIORIS &c. ubi 25. personæ enectæ, relinquam, *Zottelstadium*, atq; *Florstadium* præteream, *Eberstadium*q; totus, præ nimio *συμπαθείας* affectu, sileam, ubi viginti & tres certi dicuntur suffocati atque sepulti, præter eos, quos et turgor aquarum illic secum tum avexit, tum prætervexit. (Et quis hic, A. non condoleat,

— *nisi duris genuit quem cautib: horrens
Caucasus, Hircanæq; admorunt ubera Tygres?)*

Horum omnium tuguria ut, silentio, licet non adeò grato, præteream, præ cæteris jam quoq;
te com-

te compello, atq; in hoc publico publicæ dissertationis actu alloquor, Vir Reverende & doctissime, D N. JOHANNES SCHALLERE, Pastor Illustris, Generosi & Nobilissimi Baronis D N. HEINRICI Schencken/Dynastæ in Trebrâ, Lautenburgt & Exawbrunnig/ & subditorũ ejus Generositatis in Trebrâ inferiori dignissime, Te, inquã, etiam compello atq; alloquor, ut et me, meosq; hos Auditores Magnificos, Reverendos, Clarissimos, Amplissimos, Præstantissimos, Nobilissimos, Humanissimos & Doctissimos de vestro ab inundationib. damno accepto edoceas atque erudias. Quid erudiam, inquis? *Convertit DEUS festivitates nostras in luctum, & omnia cantica nostra in planctum, & induxit super dorsum nostrum saccum, & super omne caput calvitium: & posuit nos quasi luctum unigeniti, & novissima nostra quasi diem amarum.* En, Generosi & Nobiliss. Baronis, D N. HEINRICI Schencken/ samentis obrutam arcem, inq; cã stabula, cum pecoribus penitus, exceptis equis, submersis: En ædes agricolarum dirutas, ædificiaq; quinquaginta & quatuor lapsa.



lapſa. Homines præ luctu nimio narrare ne-
 queo, quorum et novendecim perierunt. Ho-
 rum funera, cum jam ſepelienda, terræq; ma-
 tri reddenda eſſent, non aliter, ac ſi in lectulo
 jacerent, ſomnumq; profundum caperent, e-
 miſerunt ſudores. Jacuerunt quidem, atque, ut
 minimè dubito, in Domino requievêre, atq; et-
 iamnum requieſcunt. Sed quid mali bonive ſu-
 dores iſti portendent? Ah, quid dicam, pergis,
*Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illumi-
 net vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, ut
 cognoſcamus in terrâ viâ ſuam, in omnib. gentibus
 ſalutare ſuum.* Et nos addimus ô bone Paſtor:
*Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat
 te nomen Dei Jacob: Mittat tibi, Dominoq; tuo
 Generoſo, & omnibus afflictis, auxilium de ſancto
 ſuo, & de Zion tueatur te.*

Sed nimium intonat æther, rapidoq; curſu
 proruunt perruuntq; fluctuum agmina *Sulzam*
 verſus; idcirco cum iisdem illuc meditationib.
 noſtris excurremus, non quidem, ut antea fa-
 ctum, lætabundis, ſed tremebundis, non dele-
 ctabilibus, ſed flebilibus, ſedulis quidem, ſed
 tamen valdè querulis. Quæ

Quæ tu hætenus fuisti, o nostra *Sulza*? nonne
 quasi preciosa gemma in annulo, lucidusq; in
 capite oculus, sic tu fuisti in Ducatu nostro Sa-
 xonico-Aldenburgensi? Certè. Etenim adeò
 ad cœlos evecta fuisti, ut in templis, quoties-
 cunq; vel preces factæ, vel conciones ad popu-
 lum habitæ conclusæq; fuerint, et pro tua salu-
 te, tuarumq; salinarum scaturiginum felicitate,
 sit oratum, atq;, quod scio, feliciter exoratum.
 Sed quorsum jam tua ista felicitas? quo vestitu
 jam ingentibus sumptibus extructa ad tuas sca-
 turigines ædificia incedunt? *Elevaverunt,*
quiritaris, flumina, elevaverunt flumina vocem
suam. Elevaverunt flumina fluctus suos à vocibus
aquarum multarum: Mirabiles erant elationes,
mirandiq; fluctus: abyssus abyssum invocabat ad-
strepitum Catarractarum, quæ summâ & in-
 fandâ violentiâ ædes ad minimum triginta,
 una cum viginti tribus hominibus abripuere;
 quorum octodecim terræ redditi, cœteri, ubi
 lateant & jaceant, adhuc ignorantur. Hæc
Sulzensium querela simulac ad Illustrissimam
 & Celsissimam Principem ac Dominam,
 DN.

D N. A N N A M M A R I A M, & c. viduam moestis-
 simam, Dominam & matrem regionum nostra-
 rum Clementissimam; sicuti et ad Celsitudinis
 ejusdem Illustrissimæ Filios Illustrissimos, Ge-
 nerosissimos atque Celsissimos, D N. J O H A N -
 N E M P H I L I P P U M, Academiae Lipsensis p. t.
 Rectorem Magnificentissimum, D N. F R I D E -
 R I C U M, D N. J O H A N N E M W I L H E L M U M,
 D N. F R I D E R I C U M W I L H E L M U M, Duces
 Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, & c. Do-
 minos nostros Clementissimos, nec non ad
 Magnificos Illustrissimi atque Nobilissimi re-
 giminis Electoralis *Dn. Cancellarium & Consilia-*
rios, Aldenburgum versus, delata fuerit atq; re-
 lata, quid mentis, quid animi mecum, Audito-
 tores, arbitramini eosdem jam fovere? Expo-
 nam vobis & quidem paucissimis exponam.

*Multa gemunt, sortemq; animo miserantur iniquam,
 Abreptos lugent, & mortis honore carentes,
 Quos domibus propriis ventosa per aequora vectos
 Obruit Auster aqua involvens adesq; virosq;.*

Bonum est Sal, inquit Servator noster omnium,
 & maximè tamen fidelium. *Si autem sal infa-*
tuatum fuerit atq; evanuerit, per quod condietur?

Neg;

Etificatione & honore, non est nisi de Providentia, sicuti et
gentes, quæ ignorant Deum. Sal hoc nobiscum, u-
 nà cū oleo fidei si retinuerimus, certè tum neq;
 in terrā, neq; in sterquilinum à Christo nostro
 projiciemur. Sed nimium digredior, Au-
 ditores, ulterius enim, atque paululum etiam
 retrò pergere si liceret, *ἀρρητα* nocumenta aqua-
 rum videremus atq; audiremus. Quot n. cala-
 mitates unicus jam Ilmus, cū aliis supervenien-
 tibus fluctibus, in nostra maximè vicina vicinia
 dedit, breviter audivistis: jam verò, si Sala nostra
 cum Ilmo & Onestro (quem aquam maximè
 nociferā esse, jamdudum novi) conjuncta atq;
 copulata *Numburgum, Leucopetram, Martis-*
burgum, Halamq; Saxonum alluendo & tumul-
 tuando ita, ut in vicinia & nobiscum factum,
 suos fragores eructaverit atq; impetus fecerit,
 quot quæso, damnorum hæ aquæ conjunctim
 excitabunt genera? Patefacit hoc (horresco re-
 ferens) Kosnitium, Neopyrgin propè, ubi fluidis
 lignis (ut Poëta sua mecum ad sequelam com-
 municet) retinacla parantur. Atq; hoc cum te-
 stibus auritis affirmare possum, q̄, elapsa ab hinc
 heb-

hebdomade, cum tabellario huc Magdeburgâ
 excurrente, atq; in ædibus judicis Dominorum
 nostrorum Clementissimorum respectivè pro-
 vincialis se recreante, contulerim, qui sanctè
 dicebat, se certò scire, quod Magdeburga ad
 lenam usq; nostram duo millia perierint homi-
 num, a quis tantummodò submersorum & ab-
 sorptorum. Quanta moles grandinum eâdem
 nocte Gothæ ceciderit! & quomodò cum Cru-
 ciburgo, Mulhusa ut et Longofalissa tractatæ
 fuerint, libentissimè superioribus hîc adjicerè.
 Verum,

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando
 Explicet, aut possit lachrymis equare labores?*

————— *Non ego plurima fando*

Hic numerare scio: pulsant nam corda pavores,

Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæret.

Addere et hîc liberet ea, quæ in nostra præfe-
 ctura Jenensi passi fuerint, ab excursionibus
 vel rectius incursionib. aquarû, Mavienses atq;
 Ammerbachenses, si nesciremus, quod in hac
 quadraginta & tria funera reperta, terræq; mā-
 data sint, quorum è numero decem Leuterana,
 unum Ammerbachianum, viginti Maviana
 fuere: si nesciremus, quod salicetum amœnissi-



mum luto, *σκυβάλοις*, farmentis quisquiliisq; depravatum sit; si nesciremus, q̄ et hesterno die puellula triennis fermè in aquis, suffocata, fuerit reperta, si nesciremus, q̄ nec structuræ ædificiorum cùm in pagis, tùm in suburbio, ab illis quoq; immunes fuerint. Hæc itaq; cum omnibus pateant, plura de iisdem ut addam, vobisq; Auditores, horrorem magis, quàm amorem, terrorem, quàm audiendi favorem incutiam, equidem non arbitror. Atque sic jam formam, & tanquam faciem horrendarum exundationum nuper exortarum vidistis, quæ si et oculis in hoc augustissimo auditorio à nobis jam cereretur (sed DEUS avertat) horrendos terrorum horrendorum excitaret dolores.

Sed unum breviter saltem hîc si attigero, alterum deinceps orationis meæ caput, *ἐν θεῷ*, aggrediar. Quod nam verò istud unicum? istud esto de causa hujus tanti atq; penè intolerandi mali. Et verò, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq; temerè assētiamus, q̄ vicium effugere qui volet (omnes autem velle debebunt) adhibeamus, ad considerandam hanc ipsam causam,

sam, diligentiam. Et quidem si extra Ecclesiæ
pomœria iis cum agimus, quos Solis delectat,
Lunæq; defectiones operationesq; prædicere,
illi, cum, rationis suæ dimensionibus, cœlum se
conscendisse, naturamque mundi & pulchri-
tudinem siderum penitus perspexisse arbitran-
tur, ex motibus astrorum ut omnia, ita et hujus
generis mala esse, ut asserant nō habere se quod
dubitent, existimant.

Alii verò, qui sunt ex societate & fraternitate
Epicuri, ad fortunam & casum omnia referre
non dubitant, adeò, ut et non solùm ipsam for-
tunam cœcam esse, sed etiam cœcos, quos
complectitur, efficere, atque è periculis cœcos
quoque educere asinos, [A] non erubescant,
defendere. Hinc eorum pulchra, scilicet, em-
blemata: *Caduca omnia sunt & incerta, posita non tam in nostris
consiliis, quàm in ipsius fortuna temeritate. Dandus est locus fortuna.*

Res humanas ordine nullo

Fortuna regit, spargitq; manu

Munera cœca, pejora fovens.

Et Lucanus:

Fors incerta vagatur,

Fertq; refertq; vices, & habent mortalia casum.

At verò, ut, priorem quod attinet stellarum cor-
porumq; coelestium præsignificationem, si can-



cellis suis maneret circumscripta, nec extra eos-
 dem vel in absolutæ necessitatis subsequituræ e-
 ventum raperetur, aut in sacraria voluntatis DEI
 nobis absconditæ irrumperet, facillimè subsiste-
 re, & aliquam naturæ verificæ speciem appor-
 tare eandem, facillimè possemus concedere: ita
 è contrario posteriorem nec quicquam verita-
 tis divinæ, nec honestatis homine dignæ, nec
 ullam pietatis in se micam habere constanter
 asserimus, eaq; propter eandem penitus volumus
 repudiatam. Aliam itaque causam *κρίσεως, αἰτίου*
 pœnarum nescimus, nisi solum DEUM unum,
 in essentiâ trinumq; in personis, qui solus punit
 hominum delicta. Ejus enim est punire in quem
 legis violatione peccatur. Corripuit a. DEUS
 proximâ inundationum plagâ, ut iudex justus,
 atq; ut pater benignus. Justus n. iudex atq; natu-
 ræ Dominus cum sit, qui iudicat orbem terrarum
 in iudicio & populos in æquitate, tum ignem,
 grandinem, fulmina, tonitrua & aquam voluit
 facere verbum ejus, an etiam hac voce intonan-
 te atque pro debito imperante, homines posset
 ad meliorem frugem mentis reducere, atq; ad
 veram

veram feriamq; cordis compunctionem excita-
re. Pater cum sit benignus nec hac inundatio-
ne pœnitentium cupiit mortem, sed tempora-
libus pœnis nos ab æternis voluit præservatos,
ne tandem in lacum sulphure & pice flagran-
tem æternùm deiceremur. Hic itaq; solus est,
qui suorum punit, punivit & in posterum, nisi
resipuerint, puniet scelera.

*Hic, hic est genitor solus qui fulmina torquet
Horrenda; et cujus post cæci in nubibus ignes
Terrificant animos, nec inania murmura miscent.*

Habetis jam, Auditores, breviter, prout
ratio instituti mei passa est & vestra in audiendo
tulit benevolentia, habetis, inquam, catacly-
smi diluviiq; Thuringiaci, ut ita nuncupem,
nuper oborti repetitionem, quæ pluribus etiam
diduci, atq; ex relationibus certâ fide dignis, co-
piosius potuisset explicari. Verum de pœnâ
pauca hæc sufficiant: de benignissimâ Clemen-
tissimi DEI nostri bonitate, ut quid dicamus,
ordinis nunc ratio videtur efflagitare. Cogno-
scite itaq; eam, quã maximè debeatis exoptare.

*Unâ, agite, cuncti prosequamur laudibus
Nomenq; numenq; illius;*

illu

*Ille in periculis nos vocantes exaudivit
Statimq; reppulit metum.*

*Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventi-
bus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordi-
am suam. Etenim sacramentum Regis abscondere
bonum est: Opera autem Dei revelare & confiteri
honorificum est. Cantate itaq; Domino canticum
novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dexte-
ra eius, & brachium sanctum eius. Notum fecit
Dominus salutare suum, in conspectu gentium reve-
lavit iusticiam suam. Recordatus est misericordie
sue, & veritatis sue domui Israel.*

*ob Certè, Auditores, semper DEUS etiam, in
medio iræ suæ excandescens, suæ recordatus
fuit misericordie. Misericordie enim & gratie
sue argumentum erat, quod Noë in diluvio
conservavit. Misericordie suæ indubitatae argu-
mentum erat, quod cum Abrahamo, ex patriâ
Ur Caldææ ducto, fœdus injerit sempiternum.
Misericordie argumentum erat, quod filios Is-
raëlitas ex jugo captivitatis, & servitute admo-
dum premente, asservavit. Misericordie argu-
mentum fuit, quod Daniele in spelunca leo-
num, socios in fornace ardente tutos esse & im-
munes*

munes fecerit. Misericordiæ & gratiæ divinæ non tantum in volumine codiceq; sacro plurima, (quæ ad nostram doctrinam vel maximè scripta sunt, quæq; unicè veneremur atq; honoremus, nobisq; semper infixæ sint, ut per patientiam & consolationē scripturarum spem habeamus) nec non in priscis superiorum temporum, annalibus peregrina habemus argumenta, sed etiam domestica, quorum enarratione moti atque commoti semper

*Cantemus Dominumq; bonum, facilemq; parentem,
Cujus habet nullas larga indulgentia metas.*

Quis vestrum summam Dei benignitatem fuisse negabit, quod, cum, ante annos fermè sexaginta & supra, Hilperhusæ in Franconiâ, exorto repente cataclysmo, ab hoc civitatis speculatorisq; turris ita concuteretur, Speculator exinde absq; ullo vel corporis vel vitæ deciderit nocumento. Sed propiora habem⁹, et quidem miratu maximo memoratuq; digna, quæ in proxima inundatione acciderunt, ex quibus summam DEI adfuisse juvandi & adjuvandi clementiam ultrò cognoscemus. Attendite itaq; & paucis, quæ dicentur, attendite. Non omnia

E

enim

enim hîc, quæ accidere, quæq; DEUS fecit mirabilia, poterimus cantare atq; decantare. *Quis enim loquetur potentias DEI? et quis faciet, ut omnes audiantur ubi vis laudes ejus?*

*Sed tamen est tentanda via, ut jam nos quoq; summum
Laudemus numen, volitetq; per ora piorum.*

Sleidanus lib. 7. autor est, quod, anno millesimo quingentesimo trigesimo, Romæ maximo cum terrore civitatis, reflantibus ventis & fluminis decurrentis impetum à mari retrò pellentibus, Tyberis exundarit, unde plurimū damni acceptū fuit. Confimilis planè calamitas (*pergit*) & atrocior multò pervasit Batavos, iisq; finitimos populos, quum per aggeres, quibus constringitur iis locis, mare perrupisset, ac omnia secum longè lateq; involveret. Hæc narrat quidem Sleidanus, & cum eo alii, sed, quod et talia miraculosa et inibi facta fuerint divinæ bonitatis argumenta, atq; in nuperi cataclysmi tempestate, nullibi enarrat. E pluribus itaq; pauca, & ex præcipuis maximè egregia delibabimus.

In *Trebrâ inferiori*, *Sulzam* propè, foemina est, cujus fidei & amplexui DEUS, *qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum letantem*, donaverat & commendaverat infantulum
eadem

eadem nocte lactentem atq; recens natum. Hæc licet, navigandi insueta, aquæ impetum timeret, una cum infantulo, marito, ut et obstetricæ, tempestate projecta importunâ, cursum stationemq; suam in hyberno tenere atq; defendere non potuit. Sed quid fit? Per aliquot, duo sc. vel ad summum tria scrupulorum spacia, suffocata penitusque eneçta cum putaretur, ad superiorem contignationem per parietem effractum, cum infantulo extrahitur, & utrinq; se in nullum sanitatis malum incidisse, summâ cum admiratione cognoscitur, nisi quod puerpera in horrorem postmodum quendam, ob aquæ, quã fenserat, frigiditatem, dicatur conjecta. Simile quippiam *Lehnstadii* et in *Superiori Vinariâ* evenisse narratur. Illic, puerpera cum infantulo ex lecto detrusa, atq; in hypocausto circumnatare coacta, post aquarum secessionem, suum in lectulum, cum omnium stupore admirando, iterum defertur: Hic verò muliercula, cum liberis quinque ex ædib. irruentibus abrepta, migrareq; noctu coacta, assereq; simul ab aquis deportato, atq; huic, in falice collocata, cum charis-



simis suis, in sedit, usq; dum aquarum fluctus subsidere cœperunt. Atque, ut nihil hîc dicam de puerperâ, in nostro suburbio, quæ itidem mirandâ DEI sapientiâ, et sapienti ejusdem potentiâ servata fuit atq; conservata; prodeant hîc in publicum, atque mirandum Dei auxilium nobis enarrent undecim *Maviensium* liberi, qui, circulari fluctuum agmine impetente & abripiente conclusi atq; interclusi, ut effugerent, nihil quidê habuêre viriû, sed interim summè admirandum DEI auxilium ab aquis, quarum incursiones animas eorundem intraverant, defendit eosdem, atque tutatum est. Prodeant et hîc nostrum in theatrum, atque hanc, disserturi, cathedram conscendant infantuli isti bini *Mavienses*, vel *Leuterâ Maviâ* abducti, qui dormientes, impetu aquarum ex suis lectulis detrusi, in struemque lignorum deportati, non aliter putarunt, ac si, lectulo suo affixi, ociosè atque quietè in utramvis aurem (veluti infantuli faciunt, nihil parentum aut avorum labores & curas interea curantes) dormiissent. De quo infantulorum pari, ut et de congregatâ undecim
jam

jam dictorum societate utique cum Ovidio ex-
clamare possumus :

Nescit in immenso jaçtari corpora fluctu,

Nescit agi ventis, nescit adesse necem.

Audite et hîc, quæso, Reverendû Dn. Pastorem
Tuntorphinatem, qui de suo suorumque audi-
torum opilione hæc narrat. Fuisse hunc dicit,
cum filiolo sexenni, eodem periculi hujus tem-
pore in pascuis, quem fulmina, quem fragores,
quem tonitrua, quemq; grandinum ejaculatio-
nes (et insuetæ molis has ipsas fuisse asserit, non
aliter, atque si ad figuras palmarum effictæ atq;
effiguratæ fuissent) ita exceperunt, ut fugâ, cum
filiolo pecudibusque, subsidium præsidiumque
tutelare quærere haud valuerit. Quid? Cogit
amor, cogitque paternus amor, quò vitæ filioli
parceretur. Abdit eum arbori excavatæ. Sed,
et hac grandinibus conquassata, filiolus, O Pa-
ter mi, O Pater mi, quis tantis me ictibus petit,
queritur. Et postquam questus fuerat, cum
patre, filiolus, uterq; postea illæsus, illæsis quo-
que segetum fructibus, neque læso pecorum
agmine, manserunt, evaserunt, atque, cum ad-
miranda DEI conservatione ad suos redierunt.

Huc usq; verba Reverendi Dn. Pastoris *Tun-*
torphinatis. O admirandam Dei potentiam: O
 stupendam Dei misericordiam: O immensam
 Dei bonitatem. Quis non hîc vestrum, Audi-
 tores, impletum esse perspicit, quod regius Psal-
 mographus de servatore omnium dicit atque
 prædicit, quod sit *Dominus custodiens parvulos;*
quod Dominus sit, qui benedicat omnibus, qui ti-
ment eum, pusillis cum majoribus. Ex ore enim et
 horum infantulorum ut laudem sibi perficeret,
 benefecit eis, atque eripuit animas eorum de
 morte, oculos à lacrymis, pedes à lapsu, ut am-
 bulent deinceps in regione vivorum, atq; cum
 eo, cujus deliciae sunt cum filiis hominum, po-
 stea semper lætabundi exclamando cantent, &
 cantando exclament:

O Domine, tu me protinus suscepas
Alvo parentis editum.

De te pependi spe, parentis pendulus
Infans adhuc ad ubera.

Ab usq; partu, tu Deus meus: tuus
Ex matris alvo me favor

Est profecutus: ultimo in discrimine
Jam ne recede longius.

Sed et seniorum atq; aulorum, cum juniorib.,
 in ejusmodi Cataclysmis paternam habuit cu-
 ram, qui pater est æternitatis. Pars annalium re-

gum Judaicorum & Israëliticorum prima testis est, Deum, omniū nutritorem, Eliæ sustentationem fuisse pollicitum, corvisq; præcepisse, ut, panem afferendo, eundem pascere. Sed quid hîc fecerit ille, *qui omnia, quaecunq; voluit, facit in cælo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis*, mecum quoque, Auditores, considerate, atque, quod peto, sedulò considerate. Muliercula quædam rustica, eaq; *Eberstadii*, gibbosa, cum videret nec posse se, neq; audere transire fluminum inundationumq; pericula, quibus traductum se iri jamjam videbat, ne tamē tantæ horrendæ magnitudinis fluminibus filiam suam unicam obiiceret, conandum atq; experiendum judicat, nec labori neque suo vitæ suæ periculo parcat, num salvam secum abreptam defendere possit atque tutari. Quid? vi fluminum abripiuntur, à fluminibus, anatum instar, excipiuntur, fame natantes conficiuntur, fame confectæ ad alnum deferuntur, delatæ pane sublevantur, et nemo ambarum interiit. Cor etenim maternum secum de miseriâ suâ & infelici filia suâ, eâq; præsentissima vitæ, vel mortis potius, fortunâ, cum Ovidio, cum conquereretur:

Me

Me miseram, quanti montesvolvuntur aquarum?

Jam jam tacturos sydera summa putem.

Quanta diducto subsidunt aequore valles?

Jam jam tacturas Tartara nigra putem.

Quocumq; aspiciamus, nihil est nisi pontus & ether.

Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Hanc cum usurparent querimoniam, atque ad
alni cacumen delatae sederent, en pane, ad illas,
natante DEUS reficit, nec defessos morti obji-
cit.

[Hoc testantur literae Reverendi Dn. Pastoris VVickerstetensis, Davidis Fride-
rici, exaratae ad Rever: & Clariss. Virum Dn. Johannem Majorem, Past.
Super. & Profess. Jenens. sub dato IX. Junii, anno 1613.]

Quid hinc, Auditores, dicemus? Illud quod
David: *Castigans castigavit me Dominus, sed mor-
ti me non tradidit.*

Et Deus justos oculo irretorto

Semper respicit et pios:

Mortis ut vertat jacula imminentis,

Diram & sevitiam famis.

Quid dicemus de gemmicidae, Vinariae, Duca-
lis vidua? Quid de conjugum *Ammerbachii* pa-
ri? quorum uterque morti tam vicinus fuit, ut
vicinior esse non potuerit. Virum enim aqua-
rum violentia ad notam γήπιωσις abductum inter-
ficere haud potuit, multò minus submergere,
sed ad solum terrae fixum tandem, atque immo-
tum,

tum, subsistere, ut posset, adducere debuit. Mulierem verò ex stercore eductam vix animam agere senserunt extractores. Et tamen uterque, per Dei benignitatem, sanus vivit, salvus vivit, atque, ut scienter speramus, ad præsentem usq; horam, superstes. Hoc gloriabimur, vice eorum, in Domino: *Expectantes expectaverunt, Dominum & inclinatus est ad eos, & exaudivit preces eorum. Et eduxit eos de lacu miseria, & de luto fecis, & statuit supra petram pedes, & direxit gressus eorum.* Interea et illis hoc D. Pauli subijcimus *ἢ ἐπισημα: An divitias bonitatis DEI, & patientia, & longanimitatis contemnis? Ignorans, quod benignitas Dei te ad pœnitentiam invitat?* Quid dicemus de servo Generosi ac Illustris Baronis, DN. HEINRICI Schencken/ in inferiori Trebrâ, Lautenburck & Eraxbrunnitz Dynastæ? quem nec aquæ irruens atque supra modum in stabulo crescens impetus, licet in lectulo jacentem, submergere potuit atq; ad inter necionem rapere, quamvis eundem et equi, simul inibi circumnatantes, pedib. calcitrantes, oraq; ex aquis, lectulo admoventes deprimere

F

cona-

conabantur. Quid de subdito jam modo prædicti Dynastæ cæco, qui, cum uxore in aquas tumultuantes decidēs, hac, uxore sc., submersâ & absorptâ, ipse licet non videns, lacunari tamen adhærens, vivus conservatur? Quid dicemus, quæro, de hisce mirabilibus? Hoc nempè, quod iterum David:

Scilicet arcano factum est hoc numine, nostra

Attonita factum quod stupefcunt lumina.

Et quod Beatus Augustinus: *Dicamus aliquid DEUM posse, quod nos fateamur investigare non posse. In rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi, est potentia facientis.*

Eloquar, an sileam ulterius miranda docere?

Non sileo, at dicamirati benefacta Tonantis.

Percipite itaq; , atq; aurib. benevolis, o mei Auditores, percipite, ut, veluti Israëlitæ, et nos aliquando nostris, si qui futuri, & nos cum illis superfuturi erimus, posteris instillare possimus atque enarrare, dicentes:

Venusta ad aures fama nostras attulit

Serisq; patres posteris.

Stupenda facta tradidimus à te, DEUS,

Patrata nostris seculis.

Quænam verò stupenda ista facta, dicat quis vestrum?

strum? Hæc sunt, quæ ex ore istius referam, qui Tragœdiæ istius a quosæ (an enim Comœdiam nominare possim, animi sum valdè dubii) simul egit spectatorem, vel, ut rectius dicam, patientem actorem. Sic verò narrat atque etiamnum constanter narrat iste, qui in suburbio nostro, extra portam Salanam, in viâ lapideâ habitans, literas portando, apportando & deportando, sibi suisq; victum quæritat, *Frantz Ernst*/quod in vigiliis S. S. Trinunitatis, noctu, *Eberstadii* in ædibus demortuæ p. m. Schlaffiæ, cum hærede Jacobo, pernoctaverit. Atq;, cum præter omnium spem aquas tumultuantes, hominesq; media nocte exclamantes inaudierit, ædesque Schlaffianas interire viderit, tum, spe futuræ liberationis, cum quatuor, in ædibus hisce degentibus, personis, Jacobo videlicet hærede, puero, servo & ancillâ ex templo sese in lapideum (quod ego satis firmatum esse noveram & putaveram) recepere infumibulum. Sed violentia aquarum ne hoc confugium tutum esse voluit. Impetu enim plusquam truculento non illud saltem, sed et eos, quos receperat, dejecit;

F 2

quibus



quibus tamen DEUS, cujus opera sunt inper-
 vestigabilia, in medio vitæ aquarumq; pericu-
 lo, præfens adfuit atque defensor. Delati enim
 ad arbores, licet admodum titubantes, in eaq;
 pendentes salvi & incolumes omnes mansere
 atque evasere, adeò, ut nihil sanitatis correptæ
 in eis deprehenderetur; veluti etiam de sociis
 suis Daniel Propheta scribit, *quod nihil potestatis*
habuisset ignis in corporibus eorum, & quod capillus
capitis eorum non esset adustus, neq; sarbala eorum
fuisent immutata, & odor ignis per eos non transis-
set. De mulierculis, multisq; hominum aliis,
 qui, tecti fractores, subsidium illic undiquaq; si-
 bi quærentes, sed postmodum illuc detrusi, inq;
 undas decidentes, mirando motu ad salices vel
 alias arbores, veluti anseres natantes, delati
 fuere atque deducti, neque sic ullam vitæ læsæ
 particulam senserunt, nihil hîc amplius dicam;
 (nec enim temporis brevitatis omnia ferret, nec
 vestra in audiendo patientia adungere patere-
 tur) Sed saltem cum Nobilissimo viro JOHANN-
 NE HEINRICO à Spitznafen/ uxore, ejusque
 liberis, *Mellingæ*, furnum lignaq; ædium col-
 lapsa, præ nimio vitæ metu, conscendentes au-
 diemus,

diemus, quid unicus ipse à Domino, in medio noctis, fulgurum, fulminum & aquarum discrimine, petat. Quodnam verò istud unicum, edisfere Virò Nobilissime? *Hoc est, inquis, ut semel tantum adhuc unius diei lucem videam. Qui enim in die ambulat, non offendit. Qui a. in nocte ambulat, navigat, natat, & enatat, offendit, quia lux non est in eo.* Rectissimè petiisti cum tuis ó Nobilissime Spignase. Et quoniam non petiisti vitæ longævitatē, neq; inimicorum tuorum, quæ soli DEO debetur, vindictam, neq; divitias & opes, quæ tamen maximâ ex parte simul enatarunt, en Dominus voti tui te compotē reddidit, nec unicam tantum, sed multam imposte- rum etiam plurimarum dierum lucem tibi tuis- que addere constituit, ut ambulare possis in regione vivorum, Utq;

Sis sacrosanctæ semper adis incola

Augusta mirans atria,

Deoq; persones laudem, artus dum regis

Vitalis aure spiritus.

Et hic Dominus illuminet oculos tuos, ne unquam in morte obdormias.

F 3

Subsi-

Subsistere hîc possem enarrando mirabilia providentiæ divinæ, omnia conservantis, exempla, si dubitarem de vestrâ, Auditores, in auscultando benevolentia. Verum, unicum atq; alterum si breviter perstrinxero, tum ad ultimû orationis meæ membrum me accingam. Cataclysmus, quo de aliquoties jam sermo factus, cum adeò violenter sæviret, (*ut, sicuti programma vestrum, Patres Academici, quatuor ab hinc diebus, publicè expressit, certissimus, hanc provinciam similem huic eluvioni κατὰ κλυσµὸν nunquam ab eo tempore, quo nostra gentis historia scribi cœpit, pertulisse*) factum est, ut et agricola quidam, ex tugurio, vi aquarum expulsus atq; cum candela ardente abreptus, quousque videndi ipsius potestas fuit, & quantumvis magna inundationum mora interposita, ad vadum usque protractus, semper vitæ suæ adhuc agentis signum, candela minimè extincta, dederit. En, Auditores, supernæ lucis gratiam. En Diaboli summè impotentis impotentem impotentiam, qui ardentis candelæ hujus usurã nec in medio turbinum, summoq; vitæ hominis discrimine potuit

tuit extinguere, atq; efflando in nihilum redigere. En maximè gloriosum gratiæ & benignitatis divinæ argumentum & fundamentum, quo de David: *Dominus est illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vite mea; quem trepidabo? Apud te, Domine, est fons vite; et in tuo lumine videbimus lumen.* Ad summam: *Deus medicamen est non sano, regula est pravo, lux est tenebrato, habitatio est deserto,* sic explicat Beatus Augustinus in lib. de charitate.

Auscultate atq; mecum perpendite, Auditores benevolentissimi, unicum saltem etiamnum clementissimæ DEI benignitatis argumentum, in muliere quadam *Matstadianâ* factum. Hæc à suis suorumq; conspectu & amplexu summa cum queremonia & maxima turbinum violentia abreptâ, *Florstadiumq;* versus in lacum quendam profundum delata, super arbore collocata, vestibusq; denudata incipit exclamare, suumq; infortunium deplorare. Sed quid accidit? *Florstadianorum* aliqui ad ripas Ilmi deambulant contemplaturi insuetâ aquæ crescentis magnitudinem atq; nociferam illius incom-

incommoditatem. Sed, ubi paulatim oculos ad dextram sinistramq; retorquent, en foemina in lacu nudata, superq; arbore sedentem conspicientes animadvertunt. Quâ visâ, nemo erat tam tardus aut tam fugiens laboris, quin statim pagum introeundum putaret, atq; mulieri succurrendum significaret. Conclamatur ad suppetias, omnes adjutum exeunt, rectoque ad lacum contendunt cursu, in memoriam sibi revocantes illud Servatoris: *Si asinus aut bos in puteum cadens continuo extrahitur die Sabbathi, quanto magis hac, qui nullâ suâ culpâ in hoc summum atq; tristissimum vitæ incidit discrimen? At verò, cum maximum ornamentum tollat, qui ex Repub. verecundiam tollit; et eum, qui neq; quod loquitur, cogitat, nec ullius eum piget facinoris, adeò, ut color eius nusquam signum pudoris indicet ullum, oporteat esse valdè impudentem, & hominem plusquam confidentem; mulier pudore affecta, neque statim in summo mane, neq; in alta meridie, sed tempore serotino petiit, ut extraheretur. Consilium hoc verecundia plenum laudib. tulêre, sed cum*

sine

sine esculentis eam adnataffe, viderent, non posse eam diutius inopiam penuriamq; sustinere, putarunt. Verùm, Deus plura et hïc fecit, quàm quæ nos intelligimus, aut quæ petimus, atque, integrum per diem, mulierculam hanc integram sospitavit. At verò, crepusculo jam adventante, laborem educendi mulierem recusabat nemo, eò, quod eum, finem omnium plusquam honorificum, putarent, si fluminibus laborantem eriperent, ei que de auxilio tutelari prospicerent. Erat quidem occasio benè gerendæ rei, neque verò id mulierem fugiebat. Verum, cum tanto, suboculis præsentium, nuditatis detrimento accepto, advenientem tùm videntium tùm juvantium exercitum sustinere illam, præsertim undiq; circumdatam, non posse videret *Florstadianorum* aliquis, ipsemet, indusio de propriâ suâ cuticulâ detractò, illud ipsum adjiciendo porrexit, & porrigendo adjecit, ne macula pudori muliebri ulla inureretur. O venerandum pudicitia muliebris custodem: o dignum, quem et subsequens collaudet ætas,

Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

Hunc ad sequelam sibi exemplar ponant, quos

G

Apo-



Apostolus vult, ut induant vestitum commiserationum; naturamq; (veluti Cicero monet) sequantur, ab omni, quod abhorret ab ipsâ oculorum auriumq; comprobatione, fugiant atq; vitent. Atque hujus *ὀκλιμῶντι & συμπάθεια*, si non hîc, certè tamen illic (si in fide modò perstiterit constans) theatrum ingrediatur universalis præconii, ubi censor judexq; omnium acerrimus etiam hunc alloquetur: **NUDUS FUI**, et tunc amictu tuo, indufioq; proprio exornasti, atque, ut ex aqua tribulationum extraherer primùm procurasti. Quid ad hæc de vitæ vitâ periclitantes, mirabiliq; **DEI** auxilio eluctantes, **Auditores**, addere debent?

*Rerum creator, quis similis tui?
 Qui me malorum gurgite merferas,
 Mitisq; vitâ rursus amabili,
 Tracto è profundo gurgite, das frui.*

Quid verò nos in hac immensa atq; inenarrabili **DEI** bonitate usurpare debemus, ne et nos vana **DEI** benefactoris capiat oblivio? Hæc nostra sunt: *Qui descenderunt mare in navibus (atq; sic etiam in fluctibus) facientes operationem in aquis multis; Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo. Dixit et stetit spiritus procella, & exaltati sunt fluctus ejus. Adscenderunt usq; ad cælos, & descende-*

descenderunt usq; ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati circumiverunt & moti sicut ebrius: et omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam ejus in quietem, & siluerunt fluctus ejus. Et latati sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino misericordiae ejus, & mirabilia ejus filiis hominum: Et exaltent eum in Ecclesiâ plebis, & in cathedrâ seniorum laudent eum. Ulterius pergamus: **DEVS** noster refugium et virtus nostra est, adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, si terra loco suo moveretur, & montes in medium mare precipitarentur. Sonent sanè turbidaeq; fiant aquae, & tremant montes in summitate suâ: rivuli tamen fluminis latificant civitatem DEI, sanctas habitationes altissimi. **DEVS** cum sit in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam **DEVS** ante auroram. Dominus exercituum nobiscum, susceptor noster, insuperabilisq; munitio nobis est **DEVS** Jacob, Sela.

[Hisce, quae narrata fuere stupenda stupenda liberationis divinae opera, adjungatur, & consulatur pars Relationis Historicae altera, quam suis de Diluvio Thuringiaco è Psal. 18. habitis concionibus annectit Reverendus & Clariss. Vir, DN. ABRAHAMUS LANGIUS, SS. Theol. D. Ecclesiastes Vinariae aulicus, & ejusdem Dioceseos Inspector vigilantissimus &c.]

Deniq; non enim omnia hîc attingi debent neque possunt:

*Est aliquid, fatoq; suo ferroq; cadentem,
In solitâ moriens ponere corpus humo;
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulchrum,
Et non aequoreis piscibus esse cibum;*

et hoc commemoratione maximè dignum est, quod hominum funera, licet terribili fluctuum truculentiâ abducta, aliorsumq; traducta sint,

ea, quæ in Catalogo inventorum haberi potuerunt, honestâ Christiana q̄; licet non patrio, (ut omnibus optandum fuisset) sed peregrino in solo digna habita sint atq; decorata sepulturâ. *Benedicti sint homines à Domino, qui fecerunt misericordiam hanc cum miserrimè suffocatis, & sepe-lierunt eos. Et nunc retribuatur eis Dominus misericordiam & veritatem; et nos illis reddamus gratiam, quoniam hanc reddidère atq; fecère piè in Domino defunctis.*

Hæc, Auditores, fuère, quæ in tanta temporis angustia breviter à me adduci, ut potuère, ita et debuère, bonitatis divinæ argumenta, quæq; in consideratione Cataclysmi nuper in viciniori Thuringiâ violenter, sed nobiscum JENÆ leniter (si utrinque, ut supra dictum, malorum damnorumq; legitima facta fuerit contentio) exorti, illud Prophetæ Jeremiæ nobis cotidiè suggerere debeant atque subministrare: *Misericordie Domini, quod non consumpti simus.* Atque sic formam, & tanquam faciem quoque mirandarum & stupendarum liberationum divinarum vidistis & audivistis: quæ

quæ si oculis à nobis cerneretur, mirabiles in nobis excitaret amores de prædicationis, atque divinæ collaudationis.

Dixi, Auditores, & quidem quoad fieri potuit, breviter dixi de duobus rerum capitibus. Nunc et paucissimis ad ultimam orationis institutæ partem devenio. Anno, à Christo Servatore nostro nato, sexto, Tyberis Romæ adeo exundavit, ut per septendium integrum carinis in Urbe fuerit navigandum. Insecuta est rei frumentariæ intoleranda penuria. Anno, à Christo nato, quingentesimo octogesimo nono, Urbem iterum Romæ Tyberis excurrens, licet hostes, qui Urbem tum cinxerant, Longobardos abegerat, muros tamen civitatis penetrans atq; perumpens ædificia diruit, damnoq; Urbem maximo fuit complexus. Adducto enim (ut cum Sigeberto & Aventino, D. CASPAR HEDIO, et ex hisce SIGISMUNDUS SUEVUS, in suo de motibus terræ tractatu germanico, testis est) ingenti serpentum viperarumq; cumulo, unâ cum insuetæ molis Dracone, atque aquâ jamjam subsidente, foetor exortus fuit insanabilis, morborumq; gravitas, cum Inguinariâ, subsecuta. Anno trecentesimo sexagesimo quinto, mare, pluribus in terrarum locis, alveo erumpens quam plurimas Siciliæ Urbes inundavit, alibiq; suffocans, amplius, ut non sint, effecit. Quid subsecutum? Anno extemplo subsequente, Imperator Valens fidei Arianorum hæreticæ & blasphemæ nomen dedit, seq; ab Episcopo Eudoxio Ariano baptizari passus fuit. Timendum sanè, ne deteriora nobis obtingant, gloriaq; nostra denudetur, cum præsertim funera proximè submersorum denudata fuerint reperta. Timendum sanè, ne flumina hæreticæ pravitatis & pravæ impietatis crescant, atque in regionibus hisce nostris



excrescant & exurgant, ut gramen Majestatum, floresq; Dignitatum et honorum, unâ cum segetibus Verbi Divini virescentibus inquinent, abripiant, absorbeant, atque penitus depravent. Fluctuum enim hæc est natura tumultuans, ut quiescere haud quicquam possint, sed motu agitentur perpetuo. Et *impii*, maximè verò, quos inquinata hæresium incessit religio, *maris instar ferventis sunt, quod quiescere non potest: redundant fluctus eorum in luxum & conculcationem, & impiis pax non est, dicit Dominus.* Fluctuum impetus naves, sicuti et ædes in proximo diluvio, in extrema conjiciunt pericula: hæretici, ut navem Christi, Ecclesiamq; Christianorum vento tentationû, procellisq; persecutionum violentis expositam turbent, nulli parcunt operæ, nullis sumptibus, nullisq; laboribus. Fluctuum agmina spumas gignunt & ventos concitant: hæreticorum fluctus superbi spumas advehunt iniquitatis, atque attollunt ventos elatæ vanitatis, veluti unicum condocet Arii, Præsbyteri Alexandrini, exemplum, quo de Platina in vitâ Sylvestri I. refert, quod vir fuerit specie & formâ magis, quàm virtute insignis, ac gloriæ potius quàm veritatis cupidus. Sed, tu magne DEUS,

averte hoc sidus noxium,

saveas procellas turbinum.

Atque, cum hariolari nostrum non sit, sed precari potius, votisque ad DEUM missis atque ardentè fufis, declinare ea, quæ nocitura nobis videntur, ideoque in orationis nostræ clausulâ, cum regio Psalmographo, precemur:

O DEVS omnipotens placido nos respice vultu,

Hanc vitem, è cælo, vise, tuere, vide.

Instaura hanc, tua quam plantavit dextera, vitem;

Quem statuis, valeat filius esse tibi.

igne


*Ignem quod exustum cunq; est, & clade recisum,
 Dispareat vultus asperitate tui.
 Conservet tua dextra virum, quem fecit, & ipsum
 Adsere robustum, quem facis esse tibi.
 Si nunquam tua linquamus sanctissima cunctis
 Numina; da vitam vivere posse diu.
 Sic tua perpetuis celebrabimus orgia votis,
 Et memor omnis erit nominis hora tui.
 O DEVS omnipotens placido nos respice, vultu,
 Pignora sic nobis certa salutis erunt.*

D I X I.



Emendanda.

*Hanc dissertationem, Candide lector, si legisti, etiam hac, quae praeter spem
 irrepsere, σφάλματα legisti. Verum pro tuo, quo vales, candore ita ut legas pe-
 titimus: In tit. lin. 19. pro alummo l. alumno: in program: col. 2. lin. 10. pro Misni-
 cur l. Misnicus: in Orat. p. 1. lin. 2. pro celebravit l. celebravit: p. 4. lin. 1. pro ex-
 arserunt l. exarserunt. Sub literâ verò C. p. 13. lin. 18. verba ista: In minori
 verò Brembachio 25. personæ: perlegendo transi. lin. 23. pro 14. l. 16.
 Cætera tuo candori reservata atq; relicta volumus.*



Parodia.

igne



Parodia hæc, cum præ se ferret Diluvii Thurin-
giaci faciem et speciem, ut adjungeretur, placuit.

PARODIA HORATIANA,

Oden lib. i. 2dam repræsentans.

Jam satis nimbi, pluvia, atq; dira
Grandinis misit DEUS, & rubente
Dextrâ Vinarias jaculatus arces
Terruit urbem,
Terruit pagos, grave ne rediret
Seculum Noë, mala monstra questi,
Omne nam fluctus pecus egit altos
Visere colles.
Piscium & summâ salice agmen hæsit,
Sæpè passeribus quæ amica sedes,
Et superjectis pavidi natârunt
Fluctibus agni.
Vidimus curvum Ilmiaden retortis
Littore ex omni violenter undis
Ire dejectum bona mille mille,
Tectaq; mille.
Quando sese ira nimium Tonantis
Factat actorem, vagus & sinistra
Labitur ripâ fluvio rapaci
Quilibet amnis.
Audiit natos obiisse mater,
Quò genus charum citius periret,
Fudit heu fletus obitu parentum
Chara juvenus.
Quel vocet Numen populus ruentis
Sortis ah rebus? prece quâ fatiget

Turba peccati, graviter prementem
Fulmina JOVAM?
Cui dabit partes scelus expiandi
Numen? at tandem venias precamur,
Iridis claro es quia cinctus arcu,
O Pater alme:
Immò tu malis, pie Christe, dulcis
Quem favor circumvolat & voluntas,
Quasò neglectum genus & nepotes
Respice tandem.
Heu satis diris agitate fatis,
Quem movet lapsus, miserumq; fatum
Acris & lapsuri hominis cruentum
Ultio in hostem.
Inde (mirandum hoc) hominem figurâ
Sanctus in terris imitatis, alma
Filius matris, patiens vocari
Virgine natus.
Summus hinc cælum superas, quid ergò?
Letus intersis populo misello,
Neve te à nobis viciis iniquos
Gratior aura
Tollat. Hic magnos capies triumphos,
Hic ames dici pater atq; princeps,
Neu sinas crimen superare amorem
Te duce CHRISTE.

ad petiitum Dn. M. Pulcii, amici sui
optimi raptim F.

M. Christophorus Stölzer
Isleb.

F I N I S.



DILUVIUM

Dissertatio

INUN

BUS IN

Viciniori i

tis, noctu IV. C

cum tremendo fu

gore, nec non it

Facta, Et tùm H

cla, atq, in Magnifico

tissimâ Studiosa Juv

Jen

M. AN

RONDE

Facultatis P

Theolo

Anno { D
V

Typis & su

IM,

12

NI-

IA

ita-

XIII.

fra-

confe-

in floren-

niis,

CIO

CO,

mo

R I-

